Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31635
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

qui ducebant eum. Currens autem unus ex officio cla
mabat post eos dicens. Hoc nobis preceptum est ut
ad mare in gradum decolletur ibidem. Et ut vener
in gradum arnensem. exierunt in ripa fluminis.
Tunc sanctus torpes dixit. Domine deus meus suscipe spiritum meum.
Nichil aliud dixit. sed oculos elevans in celum sic
decollatus est. Ministri autem invenerunt naviculam
vilem. quam facile ibidem invenire poterant. et
miserunt in ea corpus iusti et canem et gallum.
cum eo. et cum aqua decurrere dimiserunt. et tam
diu ibidem steterunt usque dum eam non viderent.
Tunc ministri civitatem regressi. indicaverunt qua
liter corpus sancti perdidissent. Tunc angelus domini dedux
it eum in portum sinos. Adhuc modice distabat na
vis a litore. et concutiebatur in mari. factusque
est canis quasi vigilans ad corpus. gallus vero indi
cans. Tunc exiens angelus domini per noctem venit ad
quandam matronam senatricem nomine celeri
nam. et dixit ei. Celerina surge diluculo et vade
ad litus maris in portum sinos et sepeli corpus
iusti nomine torpetis. Omnia vero que cumque petie
ris a domino habebis. Senatrix vero quasi vigilans au
divit angelum loquentem sibi et exiliens a somno
resedit in grabatto suo. territa. et cum lacrimis dixit.
Gratias tibi ago domine deus meus. quia dignatus es mittere
angelum tuum ad commonendam ancillam tuam. Domine deus
meus comple desiderium meum. Alia autem die senatrix
colligens multitudinem sacerdotum et innumera
bilem populum. ieiunantes ambulaverunt cum omni
veneratione ad mare. Et dum quererent corpus
non inveniebant. Tunc senatrix dum per litus ambu
laret. cum lacrimis respiciens in celum dixit. Domine
deus virtutum ostende nobis mirabilia tua. ut
ancilla tua letetur in te. et ostende mihi ut vide
am que audivi ab angelo tuo. Et dum complesset
orationem eadem hora ille gallus cantavit et
ipse indicavit eum. et sic in latere scopuli inve
nerunt et navem et corpus et canem et gallum
cum eo. Videntes autem sacerdotes vel populi admi
rati sunt. et pre gaudio flentes dixerunt. Vere iustus
et dei servus est iste. qui sic meruit ut cum tali frag
mento veteris navis ad litus perveniret. Tunc le
vaverunt corpus mundis linteaminibus involventes et cum magna leticia deduxerunt illud
in locum ubi deo placuit in portu qui cognominatur

C xv. k. mai.

sinos. Senatrix vero condivit cum aromatibus corpus eius.
et cum omni diligentia et honore deposuerunt
eodem loco. Eadem hora gallus et canis nusquam com
paruerunt. Ipsa quoque celerina medietatem hispa
nie imperaverat. Tunc edificavit ecclesiam magni
tudinis mire fundatam cancellis et cybro auro
refulgentem. et in eadem die in qua fabrice officia in
omni pulchritudine persolvit. multi egri salvi facti sunt.
orantes ad corpus. et tenti a spiritu inmundo liberati sunt.
et usque ad hodiernum diem mirabilia dei ibidem de
clarantur. Senatrix vero non modicam pecuniam vel sub
stantiam ecclesie dereliquit. et usque diem congregantur ibi.
Post .v.x. autem annos audientes devotione eo quod pro
ierat et mortuus fuerat. omnes provincie letabantur
et convertebantur. credentes in domino ihesu christo. Tunc exi
ens unus de officio nomine arthemius. qui et ipse
iam christi baptissum susceperat. et prefectus est in loco si
nos. et exiens de navicula ingressus ecclesiam oravit
ad corpus et dixit. Cuius vocabuli est sanctus qui in hoc lo
co requiescit. Commanentes vero loci illius dixerunt. Tor
pes dei servus. Tunc cognovit quod ipse erat qui a nero
ne in civitate pisana passus fuerat et dixit. Indul
geat michi dominus quanta ego in eum gessi per iussa iniquorum
principum paganorum quia interfui quando iustus iste
passus est. Et dixerunt ad eum. Quomodo vocatur no
men tuum? Ille dixit. arthemius. Et illi dixerunt. Et
scis vere quomodo passus est. Arthemius dixit. Ego in
omnibus interfui. et manifeste scio qualiter passus est.
Illi dixerunt. Nuncia nobis gesta eius. Et quia ipse ar
themius magnis litteris eruditus erat. residens dic
tavit gesta eius qualiter passus fuerat. exceptum rele
vans nomine audatis. Celebratur natalis eius. iiii.
K. maias. Gloria christo qui tantam gratiam tribuit timenti
bus se. et sanctum suum eripuit de altitudine maris. et
omnes qui invocant eum in mari adiuvante domino
liberantur. cui est honor et gloria in secula seculorum amen.

Vita Equicii episcopi

Fuit vir sanctissimus in valerie partibus
nomine equitius. qui pro vite
sue merito apud omnes illic mag
ne admirationis habebatur.
Qui nimirum equitius pro sue
magnitudine sanctitatis mul
torum in eadem provincia monaste
riorum pater extitit. Hunc cum iuven